

PROLEGOMENA

24

claravit illegitima, injusta omnia, & nullius
robotis.

Anno 1701. Parisiis erupit perniciosissima Jansenistarum machinatio, quā nullam Diabolus suggerere potuit ad subruenda omnia contra Jansenianam hæresim Decreta validiora. Ea fuit famosus *consentientia casus*, quo queritur, num Sacramenti pœnitentiae minister absolvere eum à peccatis possit, qui, præstito juramento Alexandri VII. contra Jansenianam hæresim, non tamen credit ullum ex damnatis erroribus, in Jansenii Volumine contineri; sed hunc animi sui sensum silentio premit, nè erga Constitutiones Pontificias irreverens videatur. Jam 40. Doctores Sorbonici, subscripto nomine, responderant absolvvi eum posse. Qui casus cum sua resolutione statim Roman missus, graviter commovit animum CLEMENTIS XI. atque Eminentissimorum Patrum: unde statim condemnatus illic est; & eorum Authores, si deprehendi possent, cum suffragatoribus 40. pro meritis castigari Pontifex voluit. Mox geminis ad Christianissimum Regem, & Cardinalem Archiepiscopum datis Brevibus, & consilium iniquitatis amplius detegit, & ad palinodiam adigi cupit temerarios approbatores.

Effe& non caruit Summi Pontificis Authoritas: concurrente Regis, & Archiepiscopi studio, atque imperio, plerique Doctores Sententiam retractarunt, rebellibus exilio mulctatis. Frenduit hic Quesnellus, & qui alias Baccalaurei, alias Doctoris, Abbatis, & nescio quas non Protheus facies assumpserat, nunc gravius sibi intonandum ratus, ex mendacibus infulis autoritatē arrogans, Antistes scenicus Epistolam scriptit, ac typis edidit, tanquam *Episcopus ad Episcopum*, in qua Pontificem, Regem, Archiepiscopum accusat crudelitatis, & injustitiae, Doctores priori suffragio renuntiantes, pusillanimitatis, inertiae, apostasia; rebellium autem fovet pertinaciam, laudans velut Athanasio, & primis dignam Ecclesiæ seculis firmatatem.

Nè verò Quesnellum existimes, nihil unquam pro doctrina sanâ, nihil pro Sede Apostolica scripsisse, edidit *Defensionem duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii Episcopos*, ac dein majoris opus molis, *Defensionem Romanæ Ecclesiæ & summorum Pontificum*, contra Leydeckerum Ultrajectensem Calvinianæ professionis pseudo-Theologum. Sed fallax uterque titulus, uterque liber: non defensio; sed proditio perfida, & hostilis impugnatio, tum Ecclesiæ, tum Brevium, Constitutionumque Apostolicarum est. Verum utriusque Operis molitionem subdolam ever-

tit Bulla CLEMENTIS XI. incipiens *Vineam Domini Sabaoth*, & ipsum utrumque opus nominatum Sedes Apostolica Decreto alio condemnavit.

Post Arnaldi obitum totius Janseniani Dux exercitus factus, annos ultra viginti minimè otiosus latere perrexit; sed novæ hæreses propagationi, haec tenus quo potest studio, pertinax incumbit. Quæ verò annis proximè elapsis, pro *Observationum moralium* defensione, & contra earum censuram ab ipso edita sunt, minimè obscurum relinquunt, ejus contra Apostolicam Sedem odium inverteratum, omnis authoritatis sibi non assentientis contemptum, & mentem in Jansenianâ hæresi obfirmatam.

Ad meliorem frugem fortissimo videbatur impulsus stimulo, quando à Melchinensi Archiepiscopo, Philippo V. imperante, & postea approbante Summo Pontifice, Ecclesiastico carceri mancipatus est; sed effracto suorum operâ pariete elapsus, & Hollandia securus asylo, dignam Jansenistarum Duce audaciam, in fanaticorum videtur rabiem convertisse. Quid enim Christianam sapientis modestiam, quid debitam supremo Ecclesiæ in terris Capiti venerationem, & obedientiam; imò quid præter certum Christianæ demissionis, charitatis, pacis, fidei, religionis interitum reperire est in tot operibus tenebrarum, quæ inter Batavicas paludes invitis Superis concepta, partaque, indè in omnes Orbis Catholici regiones exitiale contagium allatura Author improbus dispersit? Quapropter multorum adversus Mechlinensem Archiepiscopum, etiæ alias de Ecclesiæ præclarè meritum, querela est, quod hominem adeo perniciōsum, non tutiore carcere, non majore solitudine detinuerit captivum. Quot, inquit, malis Ecclesiæ liberasset! Verum quisquis Belgium Hispanicum, sive ut nunc est, Cæsareum, paulò attentiū circunspicerit, fallor, si illum inventurus sit carcerem contra tam numerosæ, & callidæ factionis insidias tutum, si forè subterranea quædam ergastula excepis, supremo affiendis supplicio destinata; sed quæ statui Sacerdotali, & Ecclesiæ mansuetudini minimè congrua widerentur. Ideo Archiepiscopus, nè simili arte etiam Gerberonus evaderet, cum acceptâ à Summo Pontifice facultate, Regi Christianissimo, cui subditum nativitas fecerat, tradidit securius custodiendum; hoc tamen paecto ut reus non sub laicâ, sed sub Ecclesiasticâ semper maneret potestate.

Quæ Quesnelli fuga, etiam mihi alias visa est Ecclesiæ funestissima; verum ubi Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth*, & alteram